

Nr. 7.

Ordinatio archiepiscopalis circa reparationes ecclesiarum et aedium pastoralium, de 28. Aug. 1715. renovata die 15. Febr. 1740.

Clemens Augustus Dei gratia Archi-Episcopus Coloniensis, etc. Inter ea quae Archi-Episcopali curae nostrae commissa sunt, nihil magis cordi habemus, quam ut decens Ecclesiarum Scholarum ac Aedium Pastoralium status jugiter conservetur, circa idipsum jam alias Praedecessor noster Archi-Episcopus Josephus Clemens glor. memoriae saluberrimè statuerat, ut in verbis sequitur:

Josephus Clemens Dei Gratia Archi-Episcopus Coloniensis etc. Quemadmodum circa quaevis alia, ita non minus circa pias fundationes, reparationes Ecclesiarum, cultum Divinum, eisque similia nunquam adeo provide omnia legibus, et statutis definiri poterunt, quin pro locorum, temporum, aut circumstantiarum varietate, hinc inde difficultates, et lites ortae fuerint, ac quotidie oriuntur: quae dum in judiciis ad annos longiores saepius indecisae remanent, interea temporis cultus Divinus, Ecclesiae, aliaque moram non admittentia, non sine gravissimo Domus Dei damno, et animarum periculo, atque non raro cum gravi populi scandalo negliguntur, ac prorsus deseruntur; Quibus malis opportune mèdèri volentes, pro commissa Nobis hierarchicà sollicitudine, Autoritate nostrà ordinarià, super aliquot punctis provisionaliter quaedam decernenda duximus, prout decernimus, et in omnibus Dicasteriis et Curis nostris in iudicando observari mandamus per praesentes, et quidem

1mo. In iis locis, in quibus Ecclesiae per fundationem quandam pro conservandà ardente lampade coram Sanctissimo Altaris Sacramento provisum non est, neque alias liquidò constat, quinam ad hujusmodi luminis conservationem teneantur, pro eodem subministrando, necnon

2do. Pro reparationibus Ecclesiarum, et tabulati, necnon paramentis Ecclesiae sive con- sive reficiendis (salvâ cujuscunque loci consuetudine, et observantiâ liquidâ, et incontractâ, quam prae omnibus observari volumus) ex redditibus fabricae, si et quatenus eas expensas patiantur, examinato praevisò reddituum statu, citrà tamen exonerationem Decimatorum pro futuris temporibus, si contingeret tunc et nunc eodem redditus ad praetacta onera non sufficere, necessaria deservunt, aut juxta reddituum proportionem, subsidium aliquod ex iisdem, à Nobis, seu nostro in Spiritualibus Vicario Generali determinandum, in praedictos usus applicabitur, redditibus vero fabricae deficientibus, si Ecclesia sit filialis, ad petitionem et commoditatem populi erecta, ipsi Parochiani eadem Ecclesiâ antes; si verò Matrix Ecclesia, Decimatores majores totius Parochiae, aut si plures fuerint, quilibet pro ratâ partis, decimarum provisionaliter et cum reservatione regressus contra eos, quos ex speciali causâ ad haec onera subeunda obligatos putaverint, in ordinario judicio intentandi, ad praetactorum onerum sumptus praestandos eoque compellantur, donec aliud eviderint; Ubi verò nulli forent Decimatores, populus eundem in finem contribuet; pro reparatione verò

Chori, et appendicum Ecclesiae, necnon pavimenti et turris (nisi aliud quoque consuetudo obtineat) necessaria, seu subsidium juxta vires reddituum Ecclesiae, eodem modo assignabuntur; At, redditibus Ecclesiae deficientibus, ad conservationem pavimenti, appendicum, et turris, concurrerit communitas; Chorum verò Pastor Ecclesiae, vigilect. Matricis (nam in filiali seu Capellâ Parochiani, juxta praedicta, ad ferenda, haec onera obligabuntur) ritè conservabit, dummodò alias honesta sustentatio remaneat, cum reservatione tamen regressus, uti in praemissis ordinatum est; Quod postremum etiam ad Vicarios perpetuos extendi volumus, modò competentia vivendi media eisdem assignata, praedicto oneri, et honestae sustentationi sufficiant: alias contra Decimatores, uti praemisum, provisionalis Ordinatio nostra, usque ad pleniorum ordinarij Judicis decisionem, obtinebit; cui provisioni etiam locus erit, si circa ea, quae sustentando Pastori necessaria sunt, quaestio exoritur.

3tio. Solent quandoque Pastores et Vicarii perpetui in Domuum suarum reparatione adeò negligentis esse, ut Successoribus suis easdem vix habitabiles relinquant: Cum autem Parochiani eo casu haeredes Pastoris ad antedictam reparationem obligatos esse sustineant; hoc verò longiore moram in executione desideret, interimque Pastores necessariâ habitatione destituenti non sint: volumus, ut Communitates, quibus aedium Pastoralium reparatio et reaedificatio ex antiquâ tali consuetudine, prout praemisum, aut alias de Jure communi incumbit, cum reservatione regressus contra praetactos haeredes, et bona haereditatis (quae etiam per Superiorem Ecclesiasticum, quatenus id necessarium duxerint, arresto supponi poterunt) ad antedictam reparationem compellantur, ne, dum in judiciis super obligatione haec contenditur, Aedes Pastorales totalis ruinae periculo exponantur; Quam reparationem etiam in se suscipere tenebuntur Parochiani, si domus Pastoralis vel vetustate, vel alio infortunio, citrà Pastorum culpam, collapsae, aut destructae fuerint; Ad evitandam autem deinceps ejusmodi sive Pastorum sive Parochianorum in reparandis aedibus negligentiam, mandamus, ut posthac in omnibus et singulis visitationibus, domus pastorales, adhibitis ad hoc artis peritis, visitentur, tum ut appareat, an aedes à Pastoribus inhabitantibus in statu debito conservatae fuerint, tum ut ea, quae dicti artis periti ad hujusmodi reparationes requiri judicaverint, indilate adhibeantur.

4to. Ne redditus Ecclesiarum, praesertim minutiores, quandoque in non leve Ecclesiarum detrimentum negligantur, aut prorsus intereant, volumus, ut postmodum Custodes Ecclesiarum, ad requisitionem seu mandatum Pastoris et Provisorum Ecclesiae, morosos debitores ad solvenda debita, praesertim liquida urgeant, exhibendo eisdem claves Ecclesiae, atque refractarios, et sese opposcentes, Officialibus locorum denuntient, qui contra tales, brachium gratis sub poenâ 25. florenorum aureorum Ecclesiae applicandorum porrigent, illosque per realem executionem ad satisfaciendum constringent.

5to. Pro instructione Juventutis, quae multis in locis, pro dolor! non absque modico animarum periculo negligi dicitur, debitè promovenda, ordinamus, ut sicubi Vicarii locorum particulares ad instruendam Juventutem, juxta tenorem fundationis, obligati fuerint, iidem ad satis-

faciendum officio suo per provisionale Decretum irremissibiliter compellantur. Qui si in hoc munere negligentes et ad id insufficientes deprehensi fuerint, volumus, ut quantocius substituantur alius, cui ex ejusmodi Vicariorum redditibus salarium conveniens assignabitur. Si verò Ludimagistri, ut et Ecclesiarum Custodes Laici fuerint atque in officiis suis desides exstiterint, ab iis (nisi moniti emendaverint) servatis servandis, sine strepitu iudicii, amovebuntur, et quatenus eo casu circa designandum Successorem illi, quibus jus eligendi aut constituendi Ludimagistrum vel Custodem de jure vel consuetudine competit, non conveniant, neque intra mensis spatium convenerint, Nos, seu noster pro tempore Vicarius in Spiritualibus pro illâ duntaxat vice (ne Juventus et Ecclesia negligantur) Successorem constituemus, eundemque ab omnibus nostris Officialibus et Curis, tam Ecclesiasticis, quam Saecularibus manutenendum decernimus; Jubentes insuper, ut Ludimagistri et Custodes singulis annis, sicut et in visitationibus, claves deponant, sintque amovibiles, si contra eos querelae habeantur: in locis autem, quae Ludimagistro, ob defectum reddituum, carent, de adhibito temporalium loci Officialium consilio, per collectam spontaneam à populo exigendam, instructioni juventutis summè necessariae (usque dum alia opportunior ratio juvandi appareat) provisionaliter consulatur; Noverint verò Pastores, sive habeant Ludimagistros Clericos, sive Laicos, sive etiam nullos, sibi nihilominus curam juventutis in fidei mysteriis instruendae (quae inter praecipuas officii Pastoralis partes numeratur) irrefragabiliter et principaliter incumbere, et sese de eâ coram tremendo Dei iudicio rationem reddituros.

6to. Cum ab oneribus foundationum adimplendis ipsi etiam Ecclesiastici et Sacerdotes saepius sub praetextu, quod Antecessores sui numerum Sacrificiorum in foundatione praescriptorum non observarint, vel residentiam aliâque in Choro et servitio Ecclesiae ex mente Fundatorum subeunda onera intermiserint, sese eximere praesumant, licet redditus respectu eorundem onerum adhuc sufficientes sint: volumus, ut hoc in casu, si literae foundationum exstent, Beneficiato pro tempore neque praetensa Antecessorum, neque propria aliquot annorum intermissio suffragetur; sed residentiae aliâque oneribus, juxta piam Fundatorum intentionem accuratè satisfiat, et Beneficiati ad eadem praestanda, praeccluso illis ad forum contentiosum recursu, quovis opportuniore modo adstringantur, prout etiam provisionaliter adstringi volumus, si literis foundationum non exstantibus, de communi famâ nonnulla onera Beneficiis annexa esse credantur, dummodo subsit moralis certitudo, quod eadem per ultimum possessorem adimpleta fuerint, quod Visitoribus in visitationibus, et alias per summariam extrajudicalem informationem, nostro in Spiritualibus Vicario examinandam et determinandam committimus.

7tmo. Circa curam subsidiariam communi animarum bono perquam utilem, statuimus, ut si deperditis forsân foundationum literis, aut iis non satis clarè loquentibus, duo ultimi Antecessores, seu etiam ultimus, cum famâ alicujus obligationis similem curam exercuerint, idque sufficienti testimonio, extrajudicialiter tamen examinando, perhibeatur, ad eadem Beneficia nonnisi testimonio nostro seu nostri in Spiritualibus Vicarii Generalis idonei ad onus praestandum praesententur, nominentur,

seu alii in illis Beneficiis constituentur, si secus factum fuerit, nominationem, praesentationem, et constitutionem nullam et invalidam haberi volumus, atque alteri ad curam subsidiariam capaci ex jure devoluto illud Beneficium conferri, et hujusmodi Collatarium manuteneri, idemque in secuturis vacationibus tandiu observari mandamus, donec Beneficium ab illo onere curae subsidiariae liberum competenter fuerit declaratum.

Quemadmodum verò per praemisam Ordinationem nostram jurisdictioni ordinariae et contentiosae Officialium nostrorum tam parum, quam juribus partium, quicquam derogare, aut praepjudicare; sed super iis, quae ob periculum animarum, et debitum cultum Divinum moram non patiuntur, provisionaliter solummodo providere volumus; sic quoque partibus, quae per provisionalem hanc nostram eique conformem Vicariorum nostrorum aliorumque Visitorum futuram ordinationem, se contra praetensa jura laesas esse putaverint, recursum ad ordinariam et contentiosam Officialium nostrorum jurisdictionem nullatenus quidem interdiximus, his tamen seriò et sub poenâ arbitrariâ mandamus, ne ullatenus praefatas Visitorum nostrorum provisionales ordinationes, earumque effectum et executionem (usque dum ordinariâ juris viâ aliud evictum, aut à Nobis ipsis aliud ordinatum fuerit) impediunt vel inhibeant, sed eam ad hoc requisiti promoveant, partesque ordinariis mediis executionis ad parendum compellant. In cujus rei fidem praesentes à Nobis subscriptas Sigillo nostro communiri, debitè publicari, inconcusseque observari jussimus, atque districtè jubemus. Bonnae die 28. Augusti 1715.

(L. S.)

Josephus Clemens.

Ista itaque utilissima Ordinatio decernendis innumeris quaestionibus quoad citatas materias undequaque quotidie emergentibus perquam apposita, cum, uti dolenter intelleximus, usque adeò in desuetudinem devenit, ut nec ejus memoria alicubi videatur esse retenta, eandem ex integro confirmandam ac renovandam esse duximus, prout tenore praesentium confirmamus ac renovamus, omnibus ac singulis Curiarum nostrarum sive Ecclesiasticarum sive Saecularium Officialibus, strictè, et sub poenâ Nobis arbitrariâ praecipientes, ut ad ejus exactam observantiam invigilent, nec non respectivis suis Authoritatibus assistant. In quorum fidem praesentes Manu nostrâ subscriptas, Sigillo nostro communiri jussimus. Bonnae 15. Februarii 1740.

Clemens Augustus Elect. mpp.

(L. S.)

C. J. Melchiorri.

Nr. 8.

Verbot der Laubenflucht gegen Unberechtigte, vom
12. Sept. 1725.

Demnach Ihrer Churfürstl. Durchl. zu Köln, Clement August, in Ob- und Niederrheinischen Herzogen, unserm gnädigsten Herrn von verschie-